



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Apotheca Spiritualium Pharmacorum Contra Lvem Contagiosam Aliosque Morbos**

**Wichmans, Augustin**

**Antverpiae, 1626**

Cap. LXIX. Circumgestionem V. Sacramenti solenniter factam, & Sacrosanctum Mißae Sacrificum, praesentissimum esse contra pestem amuletum, docetur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9653**

in quibus exeunte Clero cum populo ab Ecclesia S. Hadriani procederet, cum cereis ad talem vsum benedictis, ad basilicam S. Mariæ maioris. quod & in ceteris eiusdē Dei genetrtris festiuitatibus fieri consueuerat vt refert Beda lib. de temp. rat. cap. 10. sed hanc lustrandi consuetudinem (agit de Lupercalibus gentilium) bene mutauit, inquit, Christiana religio cū in mense eodem (Februario scilicet) die S. Mariæ plebs vniuersa cum Sacerdotibus ac ministris hymnis modulatae vocis per Ecclesias perque congrua vrbs loca procedit, datosque à Pontifice cuncti cereos in manibus gestant ardentēs & augete bona consuetudine id ipsum in ceteris quoque eiusdem B. Matris & perpetuæ Virginis festiuitatibus agere didicit. Plura vide apud Cęsar. Baron in notis Martyrologij die 25. April. & 2. Febr. item flores exemplorum tit. de Litanijis.

## CAP. LXIX.

*Circumgestionem Ven. Sacramenti solemniter factam,  
& Sacrosanctum Missæ sacrificium, presentissimum esse contra pestem amuletum, docetur.*

**S**I tanti vitrum, quanti margaritū, dicebat ille olim. si tantum præsidij contra pestem sæpè exhibuerint sanctorum circumgestatæ Reliquiæ etiam solæ vestes eorum; quantum præstabit sanctissimum sancti sanctorum Corpus circumgestatum? est illud pretiosissima margarita, quam inter omnia sua cimelia asseruat Eccle-

S f

fia

fia Catholica. est gemma nobilissima quam in thesauris  
 suis habet illa ipsa. & sicuti nonnulli vniones non solo  
 sui pretio cari sunt, verum etiam virtute medendi pluri-  
 mum sæpè valent: ita & sacratissimum Christi Corpus  
 non solum omnibus Sanctorum pignoribus nobilius est,  
 sed etiam contra omnes morbos magis præseruatium  
 & curatium est. Unde etiam pijssimus ab antiquo mos  
 in Ecclesia obtinuit, Ven. hoc Sacramentum tempore  
 contagionis & grassantis mortalitatis in supplicatio-  
 nibus publicis circumgestare. quo facto non aliud agunt  
 fideles quàm expertissimum illum non solum anima-  
 rum nostrarum. sed etiam corporum supremum medicum  
 ad ocularem inspectionem & quasi ad informationem  
 de præsentis tribulatione & infirmorum misero statu vel-  
 uti ad ægros suos, quos Medici patientes vocant, visi-  
 tandos, manuducunt; ac si dicerent: Vide miseras, vide  
 angustias nostras, vide multitudinem languentium & in-  
 firmorum; manus illis impone, languores pelle, sanitatem  
 restitue. Descende Domine, veni Domine priusquam  
 moriatur puer meus; dic tantum verbum, & statim sana-  
 bitur pater meus, mater mea, filius meus, &c. ideoque  
 illi ante quorum ædes hoc Ven. Sacramentum defertur  
 exemplo cæci illius Evangelici ad viam qua I E S U S  
 transibat sedentis, ex intimo corde clamare debent:

Luc. 18: Iesu fili David miserere mei. Fecit hoc B. Gorgonia soror  
 S. Gregorij Nazianzeni, quæ cum incurabili quodam  
 morbo laboraret nullamque spem residuam in medico-  
 rum opera haberet, ad mortalium omnium medicum  
 confugit atque ad altare coram Ven. Sacramento pro-  
 cumbens magno clamore, & omnibus nominibus Chri-  
 stum interpellat, tandemque eam quæ Christi fimbriam  
 tangens sanitatem consecuta fuerat, imitatur.

caput  
cum

cum pari clamore vberimisque lacrymis mulierculæ illius instar, quæ olim Christi pedes irrigârat, altari ad-mouens, nec se antè ab eo discessuram minitans, quàm sanitatem consecuta sit, ac deinde hoc suo pharmaco totum corpus perungens, & sicubi quippiam Sacramenti pretiosi corporis & sanguinis manus condiderat, id lacry-mis admiscens; ô rem admirandam! protinus se liberatâ morbo sentit atque, & corpore, & animo, & mente leuis abscedit, hanc spei mercedem consecuta, vt quod spera-uerat, obtineret, animæq; firmitate corpori firmitatem compararet. Ita Nazianz. oratione in funere sororis suæ Gorgoniæ, qui & in oratione de funere patris, refert & patrem & matrem virtute sacræ Eucharistiæ à morbo liberatos fuisse. Neque enim solùm contra spirituales a-nimæ infirmitates, sed & contra corporales, à Domino instituta & nobis relicta est. Compertum est id an 1529. in vrbe Principum Bruxella, in qua Ioanna à Duffele nobilis virguncula & filia Vicepræsidis Louaniensis, Ia-cobi à Duffele, miserè totius corporis membris contra-cta, & deformata ante miraculosum ibidem Sacramen-tum in æde S. Gudilæ miraculosè sanata est, citra vllius

Ex libel-  
lo R. P.  
Theod.  
Loer.  
Carth.  
Colon.

auxilium in pedes consurgens, quæ antè manca omni-no fuerat, haud aliter rectâ incedens ac si numquam an-teà laborasset, atque ita vndique sanata à claudicatione ceterisque varijs languoribus, Deo gratijs peractis læta domum remeavit.

Quid enim > si fimbria vestimenti eius adhuc mortali in carne existentis solo sui attactu sanare potuit; quan-tò magis gloriosum eius corpus siue sumptum, siue piè adoratum, sanabit infirmitates nostras vniuersas, maximè si deuotâ mente, & puro corde illud sumpse-rimus vel adorauerimus? In huius enim præsentia

Cypr. de Cœna Domini. (aurea sunt verba S. Cypr.) non superuacue mendicant lacrymæ veniam, nec vniquam patitur contriti cordis holocaustum, repulsam. quoties te in conspectu Domini video suspirantem, Spiritum sanctum non dubito aspirantem cum intueor flentem, sentio ignoscentem. Pulcra sunt quæ de hac re in sua spirituali officina habet sæpè citatus Joan. Palud. cuius bonâ veniâ hic ista interfero. Elifæus tenuit Eliæ pallium, & illo Iordanis aquas percussit quæ diuisæ non sunt, & exclamans dixit: *Vbi est Deus Eliæ etiam nunc?* quasi dicat, cum eius pallium teneâ, cur per illud eadem non fiunt quæ dum Elias aderat, facta sunt? Verbum Patris quoque pallium induit cum humanam naturam assumpsit & habitu, vt ait Apostolus, *inuentus vt homo.* induit inquam humanitatis pallium, & arctissimo vinculo vnionis hypostaticæ sibi coniunxit, & nobis in hoc Sacramento reliquit. Cum itaque eo pallio mirabilia operatus est (illo vsus tamquam instrumento diuinitatis) cur piâ fiduciâ non expectemus orationum nostrarum fructum quas toto conatu in præsentia Eucharistiæ effundimus? Cum enim hoc Sacramentum in publicum producitur id agimus, quod olim Israel cum difficilem cum hoste pugnam inire vellet, dixit: *Adferamus ad nos de Silo arcam fœderis Domini & veniat in medium nostri, vt saluet nos de manu inimicorum nostrorum.* addo ego, & de infirmitatibus corporum nostrorum. Augustissimū illud Sacramentum, & nobis Arca est, & Eliæ pallium. de quo ita Philosophatur Chrysostomus: Quid igitur si vobis demonstrauero quid aliud quod illo multò maius omnes sacris mysterijs imbuti recipimus? Elias nempe meloten reliquit, filius autem Dei ascendeus suam nobis carnem dimisit. Sed Elias quidem exutus, Christus autem & nobis reliquit, & ipsam habens ascendit. ne igitur

tur

tur animo concidamus neque lamentemur, neque temporum difficultatem timeamus. qui enim sanguinem suum pro omnibus effundere non recusavit, & carnem suam & rursus ipsum sanguinem nobis communicavit, nihil pro salute nostra recusabit. hac igitur spe fidentes, ipsum continuo oremus, & precibus & supplicationibus vacemus, & reliquæ virtutis cum omni diligentia curam habeamus, ut & instans fugiamus periculum & futura assequamur bona, quibus nos omnes dignos censerit contingat. ita ille. Saluberrimum igitur consilium & efficax planè remedium est tum ut à peste præserueris, tum etiã si fortè eadem correptus fueris, ut libereris, sæpius ad sacram Synaxim sumendam dignè accedere. Qui vulnus habet, inquit Ambrosius, medicinam requirit. medicina est coeleste ac Ven. Sacramentum. & quanto magis æger es, tantò magis medicum require. Si verò non valeat sumere, saltem feruentissimã oratione coram illo celesti medico salutem tuam commenda: potentissima siquidem ante Eucharistiam oratio est. Moyses ut oraret efficacius, assumpsit Dei virgam & lapidem in quo fidebat. Quid quæso Christus nisi virga virtutis Dei? idem verò, & lapis est ab hominibus reprobatus, qui factus est in caput anguli.

Certè scribit S. Bonaventura ad sororem, sæpè personas debiles in sacra Synaxi tantum sensisse roboris, consolationis & lætitiæ ut ab ea robuste discesserint, perinde ac si nulli infirmitati fuissent obnoxii. Et quid mirum? quandoquidem in diuersis historijs fidelissimè conscriptis toties legamus tot sanctos diutissimè vitam sanam & longuam sine vilo cibo, sola Eucharistia prorogasse? Scribit Sigebertus anno Domini octingentesimo vigesimo-tertio, in ditione Tullensi puellam quãdam duoden-

Lib. 5.  
de Sacra  
cap. 4.

Exod. 17.

Psal. 109.

Psal. 117.

Lib. de  
perfect.

In Chro.

Cardin.  
Vitri. in  
eius vita  
l. 2. ca. 12.  
Gen. c. 2.

Orat. in  
funere  
patr.

nem sumpta in Paschate Eucharistia per triennium omni cibo abstinuisse. S. Maria Oigniacensis in hoc Belgio sanctitatis fama celebris, infirma cibum omnem respuebat, sola autem Eucharistia viuebat & valescebat, ac subinde facies eius quosdam ex se radios lucis vibrare & diffundere videbatur. Si vitam ad eum se sola possit prorogare, quid-ni etiam tamquam vera arbor vitæ, de qua in Genesi, à morbis & peste immunem eam ac sanam & incolumem seruabit? Ex sola Liturgia (ita Græcis Eucharistia vocatur) pater meus robur concipiebat, ait Nazian. ac morbus tamquam ex edicto & imperio fugatus se subducebat.

Quod ad Sacrosanctum Missæ sacrificium, sicuti sollicita mater nostra Ecclesia varijs malis atque tribulationibus depellendis aut præcauendis votiuas Missas instituit ad Deum sibi promerendum: ita etiam auertendæ mortalitati peculiarem Missam votiuam ordinauit, in qua pulcherrima illa legitur & Deo offertur oratio:

**D**Eus qui non mortem sed poenitentiam desideras peccatorum: populum tuum ad te reuerentem propitius respice, vt dum tibi deuotus existit, iracundiæ tuæ flagella clementer ab eo amoueas. Per Christum, &c.

Exod. 5.

*Sacrificemus Domino Deo nostro, inquit Moses, ne forte accidat nobis pestis.* Et quod Deo gratius sacrificium quam sacrificium Missæ, in quo non vitulorum sanguis, non caro arietum, sed vera Christi vnigeniti filij caro, verus sanguis Deo Patri offertur? quid negabit Pater Filio, & tali Filio cui omnia dedit in manus siue quæ in coelo siue quæ in terra sunt? Hostiam & oblationem noluisti, id est, non reconciliabant te hominibus, non placabant te, veteres

teres hostiæ, veteres animalium oblationes, quia impossibile est sanguine hircorum & taurorum auferri peccata: corpus autem aptasti mihi, quod tibi in sacrificiū propitiationis offeram, & post me offerendum instituem. Idcirco Leo Pōtifex eius nominis III. cū esset grauissimis afflictionibus vexatus, vna die frequenter septies, aliquando nouies Missarum solemnia celebrabat, frequentiore ad implorandum diuinum auxilium celebrationem. quod & alios sanctissimos viros aliquando vsurpasse comperimus: licet id modò grauibus de causis Ecclesia interdixerit. Quoniam autem casu, qui hodie rarissimè admittitur, liceret vna die plures Missas celebrare, vide apud Franciscum Suarez, Regium aliosque Theologos in tract. de ritu Ven. Sacramenti & sacrificij. Primus verò Pontifex qui peculiarem Missam pro auertenda peste in Ecclesia ordinauit, quantum possum conijcere ex relatu Bzouij, fuit Clemens VI. qui postquā varia Christianæ pietatis opera in grauissima illa totū orbē depascente mortalitate anno 1348. ab eodem Pontifice exhibita enarrasset, tandē subjungit: Insuper ad cœleste auxilium implorandū, peculiare sacrificiū contra pestem instituit. Laudabilis certè consuetudo est quæ in disciplinatoribus Monasterijs & Ecclesijs viget, vt quotidie pro auertendo hoc malo dum grassatur, Missa hæc votiua celebretur, quatenus sic Deum peculiari hoc sacrificio sibi concilient ne accidat illis pestis. plurimos quippe morbos ab ægrorum corporibus oblatione huius sacrificij depulsos fuisse sæpè legimus. ac nominatim refert Gregorius Turonensis, de sancto Sigismundo Burgundiorum rege & martyre, quòd si quis in eius honorem, Missam deuota mente celebret pro frigoriticis seu quartanarijs, statim compressis tremoribus, restinctis febribus, sanitati pristinæ restituantur.

Sponda:  
an. 816.

Gregor:  
Turon  
de gloria  
martyr.  
ca. 75.

Præ-



Thom.  
Bozius  
de sig.  
Eccles.  
l. 3. ca. 2.

2. Cor.  
11.

Præfens itaque amuletum est contra pestem, sæpius huiusmodi sacrificia pro se fieri curare aut saltem ijs interesse, vt præferuemur vel liberemur, sicuti legimus contigisse anno millesimo quingentesimo octuagesimo tertio, in Insula Cusu apud Japones, vbi in domo quadã circiter erant triginta infecti morbo, qui Missam celebrari in eo loco in quo morabantur, pro se petiuerunt, concessum est illis: sacrificioque peracto repente omnes è lecto sani surrexerunt. Illud tamen hãc meminisse oportet quòd sicuti dignè habitum & reuerenter sumptum seu adoratum, contraria morti, morbis & infirmitatibus largiri solet Sacrosanctum hoc Corpus Christi, & efficere meliora quæcumque corporibus nostris conducunt ( nisi Deus quandoque ad maiores virtutum meritorumque progressus faciendos suis secus contingere velit, aut cum visitat eos castigans in verberibus peccata eorum, misericordiam tamen suam ab eis non dispergens) ita è contrario indignè tractatum, corporibus humanis immittere solet mortem, morbos & frequentes ac diuersas infirmitates, vt ex S. Paulo in initio huius operis retuli, dicente: *Ideo inter vos multi infirmi & imbecilles & dormiunt multi.* Secundùm illud quod Ecclesia de eo cantat:

*Mors est malis, vita bonis.*

*Vide paris sumptionis*

*Quàm sit dispar exitus.*

Hæc de sacrificio Missæ & Ven. Eucharistiæ in supplicationibus circumgestatione, quam Adrianus Hoffstadius Minorita & in Louaniensi conuentu Theologiæ ante aliquot annos Professor, Theophoriam, Flandricè, *Godtsdracht,*

*dracht*, vocat in suis sermonibus Eucharisticis, quorum duo vltimi expressè tractant de defensione, & pio atque antiquo vsu huius circumlacionis. qui librum suum concludit propositione cuiusdam quæstiunculæ, cuius resolutione & ego hoc caput concludo. Agitarunt subinde, inquit, viri docti, me etiam præsentem, num expediat aut consultum sit tam crebrò circumgestare Sanctissimum Sacramentum prout fit quibusdam in locis. nam vixi in quodã celebri oppido (id factũ Louanij, ad marginem habetur) vbi singulis ferè Dominicis diebus totius anni (idem etiamnum hodie ibidem frequentissimè fit) habebatur processio generalis, vti loquuntur, idq; cum Ven. Sacramento. Vixi contrà in alia ciuitate Archiepiscopali (sic Ultrajecti, in margine ponitur) vbi admodum rara habebatur Theophoria; cùm autem circũgestaretur, fiebat id magna celebritate. in reliquis processionibus circumgestabant reliquias Sanctorum; partem Dominicæ crucis, argenteæ cruci inclusam. Raritatem istam probauerunt celeberrimi & doctissimi viri, Nicolaus Cusanus Cardinalis, celeberrimus vir, etiam aduersariorũ iudicio doctissimus, Dom. Gropperus, Ruardus Tapperus, Cancellarius aliquando Uniuersitatis Louaniensis, Dominus Guilielmus Lindanus piæ memoriæ, & alij. Mouentur illi argumento quòd raritas excitet in hominibus reuerentiam: frequens autem cõsuetudo pariat contemptum aut saltem minuat deuotionem erga Sacramentum. Ideò præfatus Cusanus iudicabat ne in publicis quidem calamitatibus sæpiùs esse circumferendũ, sed duntaxat semel quotannis in solemnitate Theophorię dedicata. Ad me quod attinet, respondet Hoffst. adhæreo doctif. Episcopo Claudio de Sainctes, & alijs qui medio modo incedũt, qui & nimiã frequentiam improbant, & nimiã quoq; raritatẽ.

T t

Si

Si ergo disputetur, vtrum supplicatio generalis habenda sit cum Theophoria an sine illa; dispiciendum cenfeo an sit iusta causa, vrgens necessitas quæ hoc requirat, deinde an feruor & deuotio populi ex producta Eucharistia & oculis subiecta, magis accendatur, aut saltem conseruetur & non flaccescat. id si fiat, vtiliter proferetur, circumferetur, populo spectanda exhibebitur. Quod si experientia docuerit contrarium, si crebrâ circumlacione minuatur deuotio & reuerentia erga diuinum hoc memoriale Domini, poterit Theophoria intermitteri, ne per indeuotionem & irreuerentiam populus peccet & Dei vltionem prouocet. Haftenus citatus Hofstadius. cui quod addam aut opponam non habeo; auream enim mediocritatem adhibendam suggerit, & circumstantias loci, temporis & personarum diligenter dispiciendas esse admonet quæ vbique locum habent.

Illud interim Pastoribus omnibus atque etiam Ciuili Magistratui cordi esse debet, vt siue frequenter siue raro Ven. hoc Sacramentum deferatur, semper tamen cum debito tanto mysterio honore, putà cum frequenti lumine, accensis cereis, pretiosis baldachinis (Tabernacula seu vmbellas vocant hodie) multa populi comitante caterua. quia si terreno regi aut principi tantum honoris & extraordinariæ pompæ quotidie exhibeatur, quid non exhibendum ei qui est Rex regum & Dominus dominantium, sub quo curuantur omnes qui portant Orbem. Hortatur ad id nos pia mater Ecclesia dum in officio Ecclesiastico canit:

*Quantum potes, tantum aude  
Quia maior omni laude,  
Nec laudare sufficis.*

Testa.

Testatus est id publico suo exemplo Carolus Maximus Imper. eius nominis Quintus, in Comitibus Augustanis anno 1530. ipso sacro festo Corporis Christi, in solemnissima supplicatione, cui ut interessent Saxo & Lutherani alij principes multum egit Imperator, licet impetrare non potuerit, cum ferè vsque ad meridiem cum illis de hoc tractasset. Eucharistiam igitur gestabat Cardinalis Moguntinus, à dextris rege Ferdinando, à sinistris Ioachimo Brandenburgico principe eum deducentibus. ante Eucharistiam præcedebant principes sæculares, itemque Clerus cum alijs permultis. post eam sequebatur Carolus Imperator nudo semper capite, tametsi sol esset ardentissimus, in manu ferens quadrifidam ardentem facem, quod idem fieri voluit è cunctis processibus & principibus. Imperatorem sequebantur omnes Archiepiscopi & Episcopi. Umbellam sub qua portabatur Sacrosancta Eucharistia, vicissim gestabant seu principes sæculares. Porrò longissimâ processione diuersi audiebantur musici concentus. omnibus denique rirè peractis, Cæsar valde acerbè tulit Lutheranorum principum detractionem iussitque eos omnes alterâ die vrbe excedere cum publica fide. à qua tamen sententia interuentione Catholicorum principum se abduci passus fuit.

*Glorificate eum quantum potestis, supereminebit adhuc. Magnificate Dominum mecum, clamat Propheta. & exaltemus nomen eius in idipsum.* Nos imprimis Præmonstratenses Sanctissimi P. N. Norberti filij, qui Antuerpiæ eliminatâ fœdissimæ Tanchelini hæreseos spurcitiâ, fugatisque errorum nebulis, clarissimo doctrinæ & sanctitatis suæ jubare, admirabile Corporis & Sanguinis Christi Sacramentum, multis jam annis in angulos & tenebras

Chrysoft.  
vander  
Sterre in  
vita S.  
Norb  
l. 2. ca. 10.

bras projectum, glorioso triumpho eidem rursus intulit  
anno millesimo centesimo vigesimo-secundo, de quo  
verissimè quidam eius genuinus filius, sanctus Norber-  
tus tamquam novus Iosua circumlata novi foederis ar-  
ca, Tanchelinam Hierichuntem subuertit & exundan-  
tem Adamiticæ hæreseos hîc Antuerpiæ retroëgit Ior-  
danem. an non meritò cum Psalmista audeas: Quid  
,, est tibi mare quod fugisti? & tu Iordanis quia conuer-  
,, fus es retrorsum? Cooperatores verò in hoc strenuò  
,, opere, & in acri contra hæreticos proelio commilitones  
habuit potissimos Venerabiles viros, Waltmannum pri-  
mum Ecclesiæ sanctis Michaelis Antuerpiæ, & Henri-  
cum primum Ecclesiæ nostræ Tungerloensis Abbates,  
quorum posterior cum sancto Norberto, ex Francia  
Antuerpiam venit, & postea sex alijs ex Præmonstrato  
à Venerab. Hugone huc missis cum duobus è Cœnobio  
Antuerpiensi loci & linguæ peritioribus, Tungerloæ  
primus præfuit anno millesimo centesimo trigesimo-  
tertio.

Archiva  
Monast.  
Tungerl.